



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VI. Quâ ratione spoliatus instsiuere possit Judicium possessorium, & petitorium coram eodem Judice?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

simili (nisi per viam reconventionis, si hec locum habeat) quia mirum non est, si proprietatem, vel ut magis dignum, trahat ad se possessionem, non autem vice versa possessio minus dignum, proprietatem.

§. V.

An, & quomodo causa possessionis, & proprietatis possint cumulari in iudicio, & quo ordine tractanda sint?

Simul tractari posse in eodem iudicio causam proprietatis, & possessionis (si moveatur interdictum adipiscendæ, aut recuperandæ possessionis, non autem, si retinendæ tantum moveatur, quod cumulari cum petitorio ordinariè non potest) ita tamen ut iudex receptis probationibus super utraque causa, prius examinare possit probationes super causa possessionis, illamque terminare, ex *c. ad ultimum 2. h. t.* patet. Nisi de utroque liqueat, in tali enim casu, utraque causa debet simul unâ sententiâ terminari, ita tamen, ut prius pronuntietur super possessione, in executione tamen proprietatis prævaleat. *c. Cum dilectus 6. h. t.* quia in pronuntiando seu vatu ordo, qui habitus fuit in cognoscendo; & in executione absorbet effectum sententiæ latæ pro possessione proprietatis.

§. VI.

Quâ ratione spoliatus instruere possit iudicium possessorium, & petitorium coram eodem iudice?

Spoliatus, qui possessorio & petitorio iudicio simul agit (quamvis non semper consultum sit, ut possessorium simul

cumuletur cum petitorio) si possessionem & spoliationem probet, non autem dominium seu proprietatem, obtinet in possessorio, eique restituenda est possessio, non autem in petitorio (quia possessionem & spoliationem probavit, non autem dominium, & ab una possessionis ad alteram causam proprietatis, velut distinctam non fit bona illatio. *c. Cum Ecclesia 3. & c. Cum super 4. h. t.* Et qui ab initio agit iudicio petitorio, de proprietate, sive rei vindicatione, potest, si necdum in causa conclusum sit, suspensio iudicio petitorio, interdictum possessorium adipiscendæ vel recuperandæ possessionis intentare, non autem postquam in causa conclusum est, nisi iudici ex iusta causa id expedire vitum fuerit, prout statutus in *c. Pastoralis 5. h. t.* ubi iniuste spoliato ita succurritur contra odiosum spoliatorem, si petitorii probationem non videatur posse evincere, ut tamen via fraudibus non aperiatur. Quin imo etiam post sententiam in petitorio latam, quia alter in probatione domini defecit, potest hic transire adhuc ad possessorium, & è contrario ad petitorium à possessorio, quia sunt distincta & separabilia iudicia, quæ quoad hoc nihil commune habent. Hæc autem, quæ dicta sunt de utrisque iudicii cumulatione, locum etiam habent in causis beneficialibus *Clement. Unica. h. t.* Etiam si ad Papam appellatum fuerit à causa proprietatis v. g. ita tamen, ut etiam ea advertantur, quæ in duobus ultimis Capitulis *h. t.* advertuntur.

Nn

Tl